

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

accules, quasi præter officium aliquid fecerim. Nam & mihi & Collegis meis ignotum fuit, D. Magist. Pappum sine consilio tuo quidquam instituisse. Qua de re, quominus dubites, ipsum interrogare poteris Pappum, cum ea de re mecum ageret, ne verbum fecerit mihi, tibi institutum ejus displicere. Id enim si significasset, potuissem & ego cum Collegis meis pro re nata agere. Nunc cum susceptum sit, quomodo impediri queat, non video. Et gaudeo ego quoque, eundem tibi reconciliatum, cui non sine causa succensusisti, si sine tuo consilio & autoritate tale quid ausus est, quod ipsius studiis semper favisti, & de eo non male meritus es. Error igitur cum sit, fortassis non sine providentia Dei accidit, quem pro sua bonitate infinita gubernabit & diriget, ut & ipsi & Ecclesiæ sit salutaris. In detrimentum filiorum tuorum doctissimorum, ut aliquid vel à me vel à Collegis meis fiat, ne patiaris tibi ab ullo Diabolo persuaderi. At si arbitrarer, Ecclesiæ vestræ & Scholæ non profuturum institutum, pro mei officii autoritate adhuc impedirem. Sed cum intellexerim, Consensus Ecclesiastici vestri consensum accessisse, scribo illi, ut intelligat, quid sibi porro faciendum sit. Quod ad Rectoris vestri vocem attinet, scias, putum putum mendacium esse, cum quo autem non exoptulabis, priusquam denuo à me per ipsum Pappum literas accipias, quando ad nos accesserit. Satan magna molitur in Ecclesia & Schola vestra, ideo tibi vigilandum, & de consueta patientia tua tibi remittendum non esse scias. Sed confirmandus animus, ut possis & hoc devorare & superare. De fortuna filiorum quæso non sis sollicitus; Quod enim illis DEUS decrevit, Petrus illis non adimet. Bene & feliciter vale, & meo & meorum nomine tuam honestissimam, tuosque filios, diligenter salutabis. Raptim Tubingæ, 13. Octobris, 1573.

T. ex animo, ut semper, frater,

Jacobus Andreae.

CXLIX.

SALUTEM IN DOMINO.

*Reverendi & Clarissimi Viri, pietate, virtute, doctrina,
sapientia præstantes.*

Superiore proximo mense ab Ornatissimo & Doctissimo Viro, D. M. Joanne Pappo, Theologiæ in Academia Vestra Professore publico, literas accepimus, quibus testimonium summi gradus studii Theologici à nobis petit. Legimus etiam Magnifici Rectoris & scholæ de ipso judicium perquam honorificum. Quæ res nobis jucundissima accidit, quod intelligeremus, ad testificationem perpetui consensus

ooo

Ve-

Vestri, illud luculentum & novum indicium accessisse, quod vestros homines, & eos quidem Professores, ornamenta summi gradus à nostris petere velleris. DEUM omnis pacis & concordiae precamur, ut illa animorum consensio, non modo perpetua sit, sed subinde etiam augeatur. Non possumus tamen dissimulare, à quibusdam rumores hic sparsos esse, nescio quæ infausta dissidia, inter collegium Theologicum, & Pappum orta. Quare in conferendis honoribus nihil temerè nobis agendum iudicavimus, nisi ea de re à vobis ante fieremus certiores. Nam cum optata illa concordia, quæ inter utramque Academiam, Vestram, nostrasque Ecclesias in hoc Ducatu, semper fuit, nihil nobis sit antiquius, perquam sane nobis triste & molestum foret, si intelligeremus, nos eo ipso, quo studium nostrum vobis probare conamur, Ecclesie Vestrae otium & tranquillitatem turbaturos esse. Oramus itaque maiorem in modum, ne gravemini de tota re mature diligenterque ad nos perscribere. Ut enim parati sumus, illi Theologo Vestro, quantum quidem in nobis est, secundum rationes legibus nostris præscriptas, aditum ad honores illos summos facultatis nostræ patefacere: ita cupimus & institutum nostrum, & ipsius nova illa ornamenta, cum utilitate & tranquillitate publica conjuncta esse. Postremo sic vobis persuadeatis: nihil esse, in quo non nostram operam, & omnia ea, quæ à tenuitate nostrâ proficisci possunt, omnibus & singulis vobis approbare conemur. Bene & feliciter in CHRISTO JESU valete. Datis XVI. Octob. Anno LXXIII.

Decanus & Facultas Studii Theologici
Tubingensis.

Jacobus Andreae, D.
Cancellarius.

Jacobus Heerbrand, D.
Theodoricus Snepffius, D.

Inscriptio

*Reverendis & Clarissimis Viris, pietate, virtute, doctrina,
sapientia, præstantissimis, Dominis Præsidentibus Consilii
Ecclesiastici in clyta urbis Argentine. Dominis & fratri-
bus suis honorandis.*

CL.

Salutem in Christo.

INter bonos bene agitur. Ideo & ego nihil dissimulare volens, rem omnem ad te perscribere volui, ut intelligeres, quod nulla ratione te inauditum condemnare volue-